



Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

Parisiis, 1644

VI. Quod plebani inducere debent sibi subditos presbyteros ad
oberuantiam statutorum prouincialium & synodalium ordinationum, & ad
referendum habitus honestos & clericales, a laicorum habitu ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15653

ANNO CHRISTI 1420. nibus cum falconibus , nisis , aut huiusmodi volucribus clerici omnino non insistant , nec canes tales venaticos aut aues in domibus teneant, aut secum per viam ducant. Ad aleas etiam & taxillos non ludant , nec huiusmodi ludis intersint, nec ludos tales in domibus suis exercere permittant.

V.

Quales presbyteros debeant sibi assumere plebani in adiutorium exercitii curæ animarum.

Omnibus insuper Saltzburgensis dioecesis plebanis prohibemus , ne in adiutorium exercitii curæ animarum , aut ad capellanatum assumant presbyteros lusores , potatores , ebriosos , aut laicorum conuiua frequentantes , per quos multum plebs scandalizatur fidelis. Nullum etiam sacerdotem alienigenam & penitus incognitum , suæ ordinationis literas , seu formatas omni suspicione carentes non habentem ; * & vero literas commendatitias proprii episcopi , aut fide digno testimonio , seu longi temporis conuersatione de vita & moribus ipsius fuerit informatus ; assumere præsumant.

V.I.

Quod plebani inducere debent sibi subditos presbyteros ad obseruantiam statutorum prouincialium & synodalium ordinatum , & ad deferendum habitus honestos & clericales , a laicorum habitu discrepantes.

Studeant quoque plebani suorum domesticorum , præfertim clericorum sibi subiectorum , diligentem curam gerere , ipsos ad obseruantiam constitutionum prouincialium , & huius sanctæ Synodi ordinationum , morum honestatem , clericalisque habitus decentiam respicientium , inducendo ; nec patiantur eos deferre habitus a sacris Canonibus vel prouincialibus Conciliis interdictos : sed faciant ipsos deferre vestes in colore & scissura honestatem clericalem decentes , nimia longitudine vel breuitate non notandas , circa pectus & scapulas , vt moris est laicis , non strictas , & corpori bene adiacentes ; sed bene amplas , & aliquantum plicatas , manicas decentes , usque ad contactum manus protensas , infra vero brachium

Tttt iij

deorsum vltra vnius palmae longitudinem minime dependentes , cum goleris licitis saltem ad altitudinem vnius pollicis collo adiacentibus: scissuras , seu aperturas a late-
re omnino non habentes, nec retro: ab anteriori tamen parte , propter maiorem ambulandi commoditatem , ad altitudinem vnius palmae cum media , vestes non prohibemus aperiri. Vestes etiam ad equitandum deputatas, prout commoditas postulauerit, ante & retro poterunt, honeste tamen , aperire. In scissuris huiusmodi , in gole-
riis , seu aliis vestium extremitatibus foderaturas exposi-
tas , & notabiliter præminentibus non habentibus.

ANNO
CHRISTI
1420.

Abusum quoque istum clericorum , quo se sacerdibus hominibus conformantes pallia deferunt , nudis ioppulis manicas strictas , vt nunc moris est, multipliciter plicatas, seu * rigatas , aut alias laicales habentibus , nulla veste ma- * rugatus
nicata coopertis, cum expositis brachiis , nequaquam tolerent. Aliasque tam decenter & honeste clericos sibi subditos incedere faciant, vt per decentiam habitus ex-
trinseci , intrinsecam morum valeant ostendere honestatem. Hanc autem habitus honestatem exhortamur præ-
cipue ipsos plebanos , sicut & ceteros clericos , obseruare,
quatenus in omnibus suis subditis se normam & exemplum
præbeant.

VII.

Quod sacramenta ecclesiastica , & alia spiritualia , libere , sine conuentione & pactione precedente , debent ministrari.

Volumus quoque & præcipimus singulis Salzburgensis diœcesis presbyteris , quatenus circa sacramentorum administrationem omnem obseruent puritatem , libere , sine pactione aut conuentione prævia , ecclesiastica sacra-
menta , & alia spiritualia administrando. Expost ve-
ro antiquas & laudabiles ecclesiarum consuetudines pia fidelium deuotione , per ministrorum sustentationem in-
troducedas non intendimus prohibere , ad quas etiam ob-
seruandas superioris officii laici ecclesiastica possunt cen-
sura compelli.